

tensi quoad usurpatam Officialium Comitatensium denominationem privilegii evocetur. In reliquo demum quoad propositam a DD. SS. et OO. Salariorum Auctionem, Sua Majestate Sacratissima Salaria omnia in statu quo pro hic et nunc relinquuntur, et ad eorum evolutionem Salarium etiam Locumtenentis Banalis, prouti et subalternorum Supremi Regni Exactoris converti benigne praecipiente, determinatum est: ut Perceptor Comitatus Zagrabiensis 200 fl., Varasdinensis 150 fl., Crisiensis demum 125 fl., singulorum autem comitatuum Fiscales 100 fl. Salarium obtineant, praeterea vero Servitores Equites in Comitatu Zagrabensi quatvor, in Varasdinensi vero et Crisiensi singillative tres a fl. 60., Pedites vero in Comitatu Zagrabensi Octo, in Varasdinensi et Crisiensi singillatim sex a fl. 40 ex Cassa Comitatensi solvantur.

Articulus Tertius.

De Venerabilis Cleri in Congregationibus Comitatensibus Sessionis praerogativa.

Orta inter Clerum Comitatus Zagrabensis et Magistratuales ibidem personas de sessionis praelatione difficultate, benignoque eatenus Mandato Caesareo Regio de dato 18. Mensis Maji emanato superveniente, sancitum est: Ut Status Ecclesiasticus secundum normam in Regnicolaribus Congregationibus hactenus semper observari solitam in Congressibus quoque Comitatensibus dextrum Tabulae latus occupet; in reliquo vero illi, qui ex statu hujus cleri ad Sedrias Comitatum Civiles pro Tribunal applicati fuerint, praevie solito eatenus Juramento adstringantur; Patres demum Societatis et Ordinis S. Pauli ad Comitatum sedrias ulterius etiam non applicentur.

Articulus Sextus.

De Tyronibus denuo statui petitis.

Percepto benigno Suae Majestatis Sacratissimae sub dato 21. recenter evoluti Mensis Augusti ad DD. SS. et OO. emanato ac fine necessariae moderni Belli continuationis pro redintegratione Hungaricorum pedestrium Regiminum, ad Decem Millia circiter imminutorum Tyronum Militum Statutionem postulante rescripto, etsi Sua Majestas Sacratissima negotium idem, tum per oblationem quindecim a Capite fl., tum per Capitulationis concessionem, tum per assentationis facilitationem practicabilius efficere velle videatur; quia tamen per oblatam hactenus numerosam eorum statutionem tam Colonos, quam Banderialistas ita exhaustos esse conspicerent DD. SS. et OO., ut sessiones complures hospitibus destitutae in desertas abiverint, quarum onus nec aliis sine injuria imponi, nec sine Contributionis defectu defalcati posset, capaces amplius se haud esse observarunt, optatum hac in parte succursum praestandi; nam praeterquam quod tam populosiores quam minus populosae Regni partes per eductos binis jam vicibus majore sane numero Tyrones enervatae jam sint, insuper DD. SS. et OO. ne modalitas quidem ulla hac in re amplius superesset, nam conductionem quidem hactenus quoque in Civitatibus et alibi passim tentatam minime tamen successisse palam constat, per Capturam autem hactenus susceptam subditi omnes